



NVM EX

21

HARMONIA

INTER

ANIMAM ET CORPVS

PRAESTABILITA

LEIBNITIO - WOLFFIANA

SECVNDVM OPINIONEM

VIRI CIVISDAM CELEBERRIMI

INFINITA MIRACVLA

SEQVANTVR

DISSERTATIO POSTERIOR

QVAM

CONSENSV AMPLISS. FACVLT. PHILOSOPH.

PRAESIDE

M. JOHANN. SAMVEL. BILLEBIO

ABBATIS - BESSINGA - THVRINGO

IN ILLVSTRI ACADEMIA WITTEMBERG.

H. L. Q. C.

MENS. APRIL. A. O. R. S. c1o 1000 XXV.

DISQVISITIONI ERVDITORVM SVBMISSAM

PVBLICE TVEBITVR

JO. ANDREAS HEIMBVGERVS

THAL - EBRA THVRINGVS

WITTEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

HARRIMONIA

INTER

ARMAM ET CORPV

PRAS STABILIA

LIBRARIO - WOLFFIANA

VITI CIVIS AM GELT...

INTELLIGIBILIA

SECVANTIA

DISSEMINATIO PONTIFICIS

COVA

CONSENSV... TA CVLT. RHINOBONI

M. JOHANN SAM. EL. BILLERD

ALBA 18. RESINA - THYRINO

IN DIVITIA ACNEM... NITTEM... AG

AL. 18.

DISSEMINATIO PONTIFICIS

DISSEMINATIO PONTIFICIS

POSTER. 18. 18. 18.

NO. ANDREAS HERIBERTVS

INTELLIGIBILIA

DISSEMINATIO PONTIFICIS





Q. D. B. V.

§. I.

Harmoniam animae et suave ejusdem
 dominium in corpus apud *Persarum*
 pariter atque *Chaldaeorum*, vetustissi-
 marum Gentium, prisca sapientia cla-
 rissimos Viros Philosophos seu Ma-
 gos, dudum concinne resonasse, est
 quod oracula illa *Zoroastris*, *Pegasus*,
 quem *HEVRNIVS* vocat, *Sapientum*, in-
 signi cum orationis acumine proloquuntur. Graece sic
 sonant: Ἡ ψυχὴ μερόπων κ. λ.

Ἀρμονίαν αὐχῆι γὰρ, ὅφ' ἦ πέλε σώμα ἐρότερον.

Ex *Versione CLERICI*: Anima mortalium, harmoniam
 resonat, sub qua est corpus mortale; E translatione *HEVR-*
NII vero ultima verba, reddita sunt: sub cujus dominio est
 corpus mortale. Quisnam autem *Zoroastrum* auctor hu-
 jus sententiae, num *Chaldaeus*, num *Persa*, num *Bactrianus*
Zoroaster, hanc litem eruditissimorum Virorum, *STANLEJI*,
CLERICI, *HYDEI*, *MORHOFII*, utpote prisca monumenta eru-
 entium, haud facimus nostram. a) *CL. BRVNINGIVS* Epito-
 mator poëticus *HEVRNII* Philosophiae Barbaricae et Indi-
 cae praeludat potius verbis suis propriis:

Nobilis Eoo sed postquam illuxit in orbe

Mirandas sparsit mox *Zoroaster* opes,

A 2

Ille

a) de *Zoroastre* vid. *OTHONIS HEVRNII* Philos. Barbar. primordia L. II. qui Indicus inscrib. p. 120. & *CLERICVS* in Vers. *STANLEII* Philos. Oriental. O. O. Philos. T. II. p. 162. *MORHOF.* in Polyhist. T. I. L. I. c. X. & T. II. L. I. c. XXXII. nec non *BAELIVS* in Diction. Critiqu. T. III. p. 308. instar omnium hac in re *HYDE* de Religione *Persarum*, C. XXV. XXVI. Ipse quoque *ILL. LEIBNITIVS* in Essais de Theodicée vers. German. p. 51 365. 368. de *Zoroastre* ejusque Principiis, cujus sentent. Acta Erudit. Lips. 1711, p. 167. cum elogio recensent.

Ille vel *Assyrias* Sophiam diffudit in oras,
 Ille vel in Muros *Nine* superbe tuos,
Bactra, o *Bactra* illo nimium felicia Rege
 O Rex *Bactriaco* maior imperio.

Si quando autem de Harmonia animae et corporis apud
 priscos hosce Viros legimus, non *Pythagoricam*, b) quam
 CAMPANELLA recantavit, harmoniam nos quasi somniantes
 audire fingimus, sed saltem exinde colligi posse videtur:
 Harmoniam *Zoroastraeam* cum harmonia *Leibnitiana* in qui-
 busdam, qua Monades atque alia consona principia con-
 sensisse.

§. II. Quum itaque ILL. LEIBNITIVS Systema suum
 Harmonias animae atque corporis ad certa principia et mo-
 tus et leges dirigeret, publicoque Eruditorum examini illud
 submitteret, exinde factum, ut et transmarinorum Regno-
 rum ingeniosissimi quidam Virorum illud pro mero miracu-
 lo venditarent, uti in priori dissertatione nostra in EXCELL.
 VIRR. NEWTONI atque CLARCKII, *Anglorum*, sententias mo-
 deste inquisivimus, cui unicum saltem addimus: *Ἰπὸ τῶν*
ψευδῶν in hypothefibus et acceptione notionis miraculi la-
 tere, quando nimirum LOCKIVS, CONNORIVS et CLARCKIVS
 vocem miraculi pro re tantummodo insolita capiant, uti
 jam pridem LOESCHERVS, c) *Dresdensium* Praesul, REINHAR-
 DVVS, d) *Sondershusanorum* Antistes, LEIBNITIVS, e) *Erudi-*
torum sui temporis Coryphaeus, WOLFFIVS, f) *Marpur-*
gensium philosophus, eruditissime observarunt. Hunc in
 cen-

b) Post CAMPANELL. qui PYTHAGOR. secutus conferri meretur de
 Harmon. Mundi KIRCHERVS in Musurgia L. X. quod Decachordum Naturae
 inscripsit. nec non ejusd. iter Ecclat. Itin. I. Dial. II. de Campanella praeprimis
 Polyhistorias laude Incltyti, E. S. CYPRIANI Liber de Philof. COMPANELL.
 edit. Amstelod. & τὸ πρῶτον CONRAD SAMVEL SCHVRZFLEISCHII Epist.
 ad Illum. Vol. III. Epist. Arcan. p. 538.

c) in Praenotion, Theolog. contra Naturalist. et Fanat. omne genus, p. 323.
 seqv.

d) in Disput. de Miraculis Hilperhusae 1712. edita. C. IV. §. 2. 3.

e) in Epistol. ad Abbatem Contium. edit. in Collect. Scriptor. T. II. p. 755.

f) in Gedanken von Gdts, der Welt und der Seelen. C. IV. p. 634.

cenſum ſententia illa, in ſcholis philoſophorum vexatiſſi-
ma, meretur referri, quando CEL. quidam VIR, Theologus
profeſſione habitum Philoſophi indutus, miracula ex har-
monia *Leibnitio - Wolffiana*, vel auctoritate Anglorum, quos
tamen tacet, motus, vel conſequentiis ſuis exſtructis, con-
fiſus, prona via ſequi ſtatuit. Ideo hanc opinionem mode-
ſta diſquiſitione ventilare et obſervationes ex intimis et do-
meſticis harmoniae praefſtabilitae cauſis contra eandem
adornare, operae pretium omnino duximus. Pro eo au-
tem, qui omnes diſputantes et abſque praerudiciis in rem
inquirentes decebat, candore, nomini Cel. diſſidentientis
parcere conſtitutum eſt, ſi vel innocuo poetico luſu illud
coloribus nativis adumbraverimus:

Dic mihi Muſa Virum quisnam CELEBERRIMVS Ille?

Quem mihi *Socraticae* cupiunt oſtendere chartae,

Qui celebrem pennam verſus ſyſtemata ſtrinxit,

Quae ſibi LEIBNITIVS mirandus vendicat auctor,

Excellens quae doctâ WOLFFIVS arte polivit:

ILLE, licet noſcat, quid diſtent aera lupinis,

Erravit *ſpecioſa dehinc miracula promens.*

Grammatici norunt, nullo ſub iudice lis eſt,

Dixi Muſa Virum: LONGI, cui Nomen, *Halenſis.*

§. III. Iſte nimirum CEL. VIR in modeſta diſquiſitione,
quam in novum philoſophiae *Systema de Deo, Mundo et Ho-*
mine et praefertim de *harmonia commercii inter animam et cor-*
pus praefſtabilita cum Epicuriſi in Viri cujuſdam Clariff. Com-
mentationem etc. inſtituit, nec non in der *Entdeckung der*
geſäſſel. und falſchen Philoſophiae etc. repetiit, et illius c. II.
de Homine. p. 124. 125. ſeqv. et c. III. p. 204. ſeqv. ex *Leibni-*
tio-Wolffiana philoſophia, quam impugnandam ſibi ſumſit, in-
ſinita partim elicit, partim negat, partim quoque ex Spi-
nozae lacunis illam derivando, qui tamen nulla admittit,
miracula, conſequi aſſeverat. Brevi autem delineatione
praemiſſa, in qua cardo rei controversae vertitur, verba
Ipfius CEL. diſſidentientis, ut Lect. Benev. reddamus, omnino

necesse erit, quibus deinceps argumenta nostra *ὀυκ* op-
 posita praelibanda proposituri sumus. Sequentem ergo in
 modum arguens exaggerat suam sententiam, l. c. p. 124. *In*
frangendis, ait, *miraculis hoc Systema abit in infinitum, miracula ita*
cumulans, ut nihil nisi miracula ponat, speciatim in humano genere,
eorumque numerum vel ipsius arenae maris numero reddat longe cū-
mulatiorem etc. alibi p. 137. et 138. proposit. hanc format. *Sy-*
stema Leibnitii de Harm. commercii inter animam et corpus praefta-
bil. cum systemate Spinosae etc. ea habet communia, ut pro adoptato
Pseudo-Philosophiae Spinosianae foetu haberi possit. Et demum p.
 204. arguit: *Nulla miracula secundum hujus systematis hypotheses*
dari imo p. 121. Miracula, ait, in eodem per justam hypothesisum con-
sequentiam concidere. Quae quidem sententiae Cel. Disput.
 invicem sibimetipsis classicum, non harmoniam, canunt,
 nam vel semet sustollunt, vel sibimet contradicunt. Hinc
 vel tribus adversus hasce sequentem in modum argumenta-
 mur: *Quodcunque Systema ad evitanda miracula, in alio obvia, in-*
geniose satis est adinventum, illud nulla miracula per se ponit, Atqui
Systema Harmoniae commercii illius Animae atque corporis praefta-
bilitate LEIBNITIO-WOLFFIANVM ad evitanda diutina, perpetua
miracula in CARTESIANO SYSTEMATE obvia, necessaria, est exstru-
ctum, E. nulla exinde sequuntur miracula infinita. Et hoc qui-
 dem primum ex *ὀυκ* System. Harm. Praest. Originibus et
 principiis productum est argumentum. Secundo ex concilia-
 tionibus diversissimorum systematum CEL. dissent. senten-
 tiam suam ipsemet destruit, nam arguimus: *Quaecunque Syste-*
mata secundum hypothesisin dissent. sunt eadem, et prius, ex quo posse-
rius ortum, nulla admittit miracula, illa de nullis miraculis quam
maxime convenire necesse est: Jam vero Systema SPINOZIANVM nul-
la in rerum natura vera miracula admittit, et si LEIBNITIANVM
ex illo ductum, uti CL. Diff. concedit, est ejusmodi tenoris. Er-
go et hoc cum illo et ex illo nullatenus admittet miracula multo mi-
nus infinita. Ultimum, ex contradictoriis Ipsiusmet M. R. V.
 verbis, quae ejusdem sententiae ruinam minantur, depu-
 gnamus. *Quodc. Systema miracula tollit, illud nulla ex se ponit,*
 multo-

multominus ipsum est miraculum, nunc systema controversum est tale, ex sententia Diff. Ergo. Nulla itaque consequentia precaria uti debemus, ut rebus omnibus et principiis et legibus motus probe pensitatis et sobrie ad miraculorum et System. Harm. phaenomena relatis, eis, quae eisdem haud insunt, infinita miracula affingamus.

§. IV. Ordinem jam praeivimus, formaliter autem, ut ajunt, rem tractantes ratione prioris momenti in amplissimas Systematum philosophicorum recentissimorum contemplationes, easque nobis quam suavissimas provehimur, nam *Minoris* propositionis nostrae probatio eo nos adigit, ut ex una parte *Cartesiani Systematis* miracula ex rerum et canonum ejusdem serie et causis, obvia, perpetua, demonstremus: altera vero ex parte *Leibnitio-Wolffianum Systema* adversus impacta miracula, qua fieri potest, defendamus, et ex connexione rerum et operandi modo ejusdem illa M. R. V. denegemus. *Cartesianum* autem *Systema* seu *Causarum occasionalium*, quod, pro instituti brevitate, concernit, maximos eruditorum illud plausus meruit, nam *CARTESIVM*, *g*) auctorem praeceuntem secuti sunt *MALEBRANCHIVS*, *b*) *CONNORIVS*, *i*) *WITTICHIVS*, *k*) *BAELIVS*, *l*) et inprimis in Germania *JOH. CHRISTOPH. STURMIVS*, *m*) mysta naturae Celeberrimus *Altorsfinus*, in quo vifo nihil ferme poenitendum, nisi quod mors eundem his subtraxit terris prius, quam *Physicam Eclecticam* suam, *Cartesianis* principiis quam maxime innixam, qua partem specialem absolveret. Ingeniosa quippe totius *Systematis Causarum occasionalium* moles, qua doctrinam motus, interprete *CEL. STURMIO*, *n*) in

eo

g) de *Cartes.* et *Cartesianis* vid. *MORHOEIFS* in *Polyhist.* T. II. L. I. c. XV. T. II. L. II. c. XVII. adde *STRUVII Bibliotheca Philosoph.* p. 35. *ARNOLD.* *Kirch- und Reiser-Historie.* P. II. L. XVII. C. X. f. 526.

b) in *Tract. de Inquirenda Veritate.* T. II. p. 336.

i) in *Evangel. Medici Artic.* V. p. 33.

k) in *Theol. Pacifica.* c. XVI. p. 189.

l) in *Diction. Histor. Critic.* sub voce *Plotinus.*

m) in *Phys. Eclectica s. hypothetica.* T. I. ed. Norimb. 1697.

n) in *Epicrisi in Phys. Eclect.* g. IV. p. 197. et in *Usu Phys. Metaphys.* §. IV. et VII. p. 836. seqv.

eo recumbit, ut maneat in concussum et inficiabile, (quod verbum eidem placuit:) Movere esse divinum quiddam uni Voluntati divinae proprium, et consequenter: I. *Nullum Corpus alterum movere posse active videlicet et efficienter et quae reliqua.* II. *Neque Spiritum ullum finitum, neque adeo mentem nostram virtute aliqua ipsi virtuti divinae contradistincta vel univum sibi vel extraneum corpus localiter movere posse.* etc.

§. V. Simili quodam Eidem hanc rem illustrasse complacuit: Eodem ait fere modo Deum infinita sua voluntatis virtute in movendo animam et corpus eidem unitum, procedere, agere, efficere, quo blandi parentes infantum suorum ausus imbecilles in portandis sellis aut aliis ponderosioribus adjuvent, ipsis interim suis effectum viribus ridicule imputantibus ac de tanto suo robore sibi mire placentibus. Fateor omnino haec speciosa esse, imo blanda verba et quae ad evehendam potentiam Dei mirifice collineare videantur: Verum re penitus paulo introspecta sub hisce involucris vel res bruta, quo et animam referre absolum est, vel DEVS perpetuus mentis interpret et motor corporis non tam latet, quam apertissime sese prodit. Haecce perpendens LEIBNITIVS aperte pronuntiabat. o) Praeterquam quod systema causarum occasionalium ad conciliandum hujus utriusque substantiae commercium, *miracula perpetua introducit*, non cavet perturbationi legum naturalium in utraque substantia constitutarum. Sit licet enim CARTESIVS directionem posteriorem quasi motuum animae, eidem reliquerit, uti interpretes ejusdem, et MALEBRANCHIVS et CLAVBERGIVS et le GRAND sententiam ejusdem palliare contendunt: tamen virtutem primam motricem denegavit. Parum omnino lucratus eo, namque negata vi movendi, non potest concipi, quomocunque vim motus dirigendi anima exercere valeat.

§. VI. Ipsemet CEL. *dissentiens*, quum causam DEI et Religionis Naturalis haud ineleganter peroraret, pro nostra

o) in Theodicaea §. LXX, edit. et Vers. Latin. conf. §. 340.

stra sententia pugnat, p) ajendo: Hoc CARTESII et *Cartesianorum Systema dictum est Systema causarum occasionalium, quia praeter occasionem ipsi animas et corpori in commercio mutuo nihil relinquit.* Prono exinde fluit alveo, quod, qui nihil relinquit operantibus naturaliter, ille supernaturalia accerfat et temere in theatrum naturae constituat. Numne Natura nomen inane? vel idem ac Vacuna? nihil anima, nihil organa corporis, nihil corpus ipsum active agunt, quid aliud exinde sequitur, quam perpetuum miraculum? Pugnat autem suppositio *Cartesiana* cum legibus naturae et motus, perinde enim hic esse, CL. BVLFFINGERVS, q) interpretatur, siue anima humana suis volitionibus efficiat in corporibus motum, siue occasione et pro ratione volitionum istarum DEVS producat illos in corpore motus. Neutro casu seruari, pergunt BVLFFINGERVS, leges utrique substantiae latas, neque *Ethico-Logicas*, quibus anima subicitur et quae faciunt, ut affectuum in anima prodeuntium causae sint in anima, neque *physico-mechanicas*, quae motum motui causam postulant in corpore. Id autem omne, quod neque principium, neque causam habet in rerum natura, sed extra eandam, in universi auctore, miraculum est, quod a DEO unice expectandum. Nonne praesupposito legum *Cartesianarum* Systemate et sublatis legibus naturae miracula necessario sequuntur? uti praecedente ILL. LEIBNITIO, CEL. WOLFFIUS r) atque CL. BVLFFINGERVS s) abunde evictum dedere.

§. VII. Hosce a naturalibus ad supernaturalia saltus *Cartesianos* ut evitaret ILL. LEIBNITIVS non solum in generali totius universi harmonia identitatem quantitatis virium motricium supposuit, sed etiam in harmonico commercio

B ani-

p) in *Causis Dei et R. N. advers. Atheism. Tract. Protheoret. in Theorem. Propos. IIX. p. 48. §. 6.*

q) in *Commentat. Hypothes. de Harmon. Praestabil. Sect. IV. §. 75. p. 80. add. Wolffium in vernünftigen Gedanken von Gdt, der Seel und Welt. c. V. P. 419.*

r) l. c. §. 763. 764. seqv.

s) l. c. §. 75. 76. seqv.

animam inter et corpus, *animae molimina ad leges appetituum: corporis vero opera ad leges motuum* restrinxit, quo facilius commercium illud explicaret. Qua harmoniam enim universi ingeniosa satis sunt, licet non omnibus ad palatum, quae in *Theodicaea* differit: Mala enim physica et imperfecta et inordinata, quorum exempla sunt monstra, aliaque a regula exceptiones et deviantes res, contineri statuit in ordine rerum, tanquam medium ad ordinem perveniendi, imo tanquam requisita necessaria ad ordinem explendum in toto. Post alia pergit: dubia hic enata statim evanescere, ubi ad *Systema harmoniae generalis* respicimus, cum etiam in Musicis constet, dissonantias apte insperfas gratiorem reddere totam melodiam. Hos svaes lusus ingenii summi ad auctorem remittimus. E re nostra erit, ut cum eodem in miraculorum indolem penitius inquiramus. In duo itaque genera miracula dispelcit: Alia esse naturalia, etsi supra naturam nobis notam, et ea posse produci cum ope aliarum naturarum occultarum, tum speciatim ministerio Angelorum corporibus junctorum multo subtilioribus et efficacioribus quam nostris; alia vero superare omnem naturam creatam, et omnem vim creaturarum transcendere. Ni ILL. auctor in priori *ὕπερ λόγῳ τι* fovet, in posteriori nos quam facillime habebit consentientes, ut distinctione notissima utamur, eandemque applicemus, qua miracula in immediate et mediate facta, distribuunt: Vt etiam ILL. auctor de idea miraculi se aperte explicat: *Appello, ajens, hunc eventum miraculum, qui haud fieri potest, nisi per Creatoris potentiam, cujus ratio non extat in creaturis seu creaturarum serie. †)*

§. VIII.

†) LEIBNITIVS in Epist. ad ABBAT. CONTIVM eleganter gallicana dialecto: J' appelle miracle tout evenement, qui ne peut etre arriv , que par la puissance du Createur, sa raison n' etant pas dans la nature des creatures. Collect. cit. T. II. p. 95. conf. Celeber. Auctor. A. E. L. M. DCC. XI. mens. April. p. 159. ubi Part. III. *Theodicaeae Leibnitianae* recensent.

§. VIII. Quum ergo in commercio harmonico animae et corporis actionum earundem et fundamenta & rationes in natura et constitutione eorum nixa sint, quandoquidem omnia sunt et aguntur quam maxime naturaliter, nam et principia et leges motuum, ad quas diriguntur actiones et appetituum, ex quibus animae operationes procedunt, et operandi modus mechanicus a scoriis falsi et fatalis mechanismi purgatus, spirant harmoniam et quidem naturalem, non vero supernaturalem. Quis fiat, ut innumera miracula, instar arenae maris multiplicata, heic confluere possent? Taceo principia generalissima *Monades Leibnitianas*, tertiae speciei, de quibus PYTHAGORAS, PLATO, ZOROASTER, alique *Veterum* praelusere, ^{u)} in harmonia suppositas, nullo modo, nullaque consequentia iusta ad miraculum ejusque principium movens primum et supernaturalem motorem omnium posse vel saltem applicari nedum vere referri, id, quia est quam maxime dilucidum, ulteriori discussioni haud indiget. Quam vero harmonia inter animam et corpus, tanquam ad canonem dirigitur, probe attendendum foret: Nec leges appetituum sive Ethico-Logicas, quae affectuum in anima exurgentium et sese exerentium causae traduntur: Nec respectu corporis et leges motuum naturales, omnibus sanioribus jam acceptas, cognitatasque, quae et physico-mechanicae dicuntur: Ullam comparisonem, multo minus veram essentiam et requisita miraculi referre. *Legum enim naturalium exercitium et contra earundem suspensio se mutuo sufflamirant, enervant atque demum suffollunt.*

^{u)} vid. STVRM. in *Phys. Eccl. T. I. c. II. §. IX. p. 30.* et S. R. BUDDEI *Element. Philos. P. I. p. 20.* ubi luculentum Zoroastris effatum: *Toto mundo lucet Trinitas, cujus unitas (monas) initium est:* adde CLER. *Verf. STANSEJI Histor. Oriental. Philosoph. p. 344. 331.* et Nob. de STAIR in *Physiof. Nova Experiment, Explorat. II. Sect. I. p. 41. seqv.*

§. IX. Postquam igitur nos ad *primum* argumentum, §. III. supra nexum, recepimus, quod hic repetere superfedemus, quoniam, pro instituti ratione vindicasse illud persvasi sumus: *Alterum* brevius excutientes trahimur in adyta systematum, scil. *Spinoziani* atque *Leibnitio-Wolffiani*, quae una eademque, qua miracula potissimum, *CEL. dissentiens* putat. Nostra itaque interest, ut observandi ordinis causa, cujus haec virtus erit, hoc argumentum in duo quasi commata dispelcamus, quo in altero *Systema Spinozianum* miraculis vacuum, in altero *Systema Leibnitianum*, si cum eo idem, secundum *CEL.* auctor: necessario etiam omnibus miraculis vacuum, et liberum appareat, ideoque nulla ei erunt vel asfingenda, vel imputanda infinita miracula. Primum de *Systemate SPINOZAE*, quando miraculorum doctrinam tractat, Ipsemet *M. R. dissentiens* in *Causa DEI* supra jam cit. istud ab omni miraculo vacuum pronunciavit. Verba ipsius, liceat per eum, repetamus, Et quia, in fit. §. VIII. p. 61. *miracula non possunt non a causa efficiente Deo, proficisci, Spinoza ea plane negat, ex eo, quod illa mechanisimum et necessarium naturae ordinem essent turbatura et everfura.* w) Idem, pergit, confirmare annititur in *Tractatu Theol. Politico*, per *miraculum* nihil aliud intelligens, quam *opus naturae* quod captum humanum superat aut superare creditur. *Cel. WOLFFIUS* ex alio capite miracula *Systemati Spinoziano* derogat: Quoniam scil. miraculorum *motor primus et auctor extra mundum* fit constitutus, et *SPINOZA* nullum alium *DEVM*, quam *Naturam* seu in mundo extensum admiserit, ergo *nulla omnino miracula* pro extraordinario opere *DEI* habuerit. x)

§. X. Deinde litium recentissimarum *Cel. WOLFFIUS* inter et *M. R. Virum* peritis constat, quod *dissentiens Spi-*

w) in supra cit. *Causa Dei*, §. VIII. p. 61.
 x) in *Metaphys. S. vernünftige Gedanken, von Gott, der Welt, und Seelen der Menschen*, c. IV. §. 634. seqv.

Spinozifmum Syſtemati harmoniae praestabilitae, qua animam et corpus, impegisse sustinuerit: *Chimaeramque* vocans illam harmoniam ex *Spinoziana* philosophia formatam, imo per longas ambages illud probare fategerit. 7) Quid demum prohibet quo minus dicamus, quod res est: Ipsum auctorem CL gravissime premi suis conciliationibus diversissimorum Syſtematum, hinc et in hoc casu miraculorum causa cadere, imo propria caedere vineta, ni ex nobis concessis omnia miracula ab Harmonia praestabilita longissime exclusa confiteatur. Quid enim chimaeris, quas somniat, cum miraculis? Eadem facilitate colligere possemus, consequentias CL. V. tam apte, quam arena sine calce, cohaerentes, similes esse chimaeris. Verum ne gravissimam et sanctissimam miraculorum doctrinam hostibus ludibrio exponamus, abſtineo me ab omni mordaci cavillatione: Siccoco etiam, quod ajunt, focco praetereo CEL. *dissent.* in notione miraculi nimium laxa sumta, quae tamen accuratissime tenenda est, vel improvise in castra LOCKII, CONNORIS, CLARCKII transire posse; id quod supra §. II. jamjam observandum posuimus. Mittimus etiam plura: An scil. LEIBNITIVS plagio quodam literario ex SPINOSAE operibus systema suum surripuerit? An conveniat Systema SPINOSAE in omnibus, potioribus cum Systemate LEIBNITH? a quibus ipse CEL. *dissent.* hoc systema absolvit, licet *συναμαχίαν* WOLFFIVM commisisse dicat. Verum ex intimiori connectione partim, et partim oppositione eorundem Systematum arguimus. Nam si systemata haecce, qua speciale argumentum harmoniae scil. commercii inter animam et corpus praestabilitae, in qua harmonia CL. auctor miracula, nodos in scirpo, quaerit, et infinita ex illa sequi statuit, conveniunt invicem, omni exceptione firmiter concludi licet,

B 3

7) in *Disquisit. modesta de DEO, Mundo et Homine* c. II. p. 127. VI. P. 137. 138.

licet, quod, sicut *parens systema Spinozianum miracula eludit, sic et foetus illius nulla omnino inferat.*

§. XI. Licet itaque haectenus *κατ' ἄνθρωπον* Cl. dissent. quaedam indulgissemus, pro ea, qua utimur erga illum, ingenuitate, sit etiam, ut ex hypothese illius nonnulla attulissemus: Veritati tamen, optimaer rerum magistrae, cedere nos oportet, utpote quae praegnantissimas et invictas nobis rationes suggerit, quod Systemata, et *Spinozianum* et *Leibnitianum*, qua specialia momenta, doctrinam scil. de miraculis et de harmonia praestabilita speciali, qua animum atque corpus concernit, sint maneatque diversissima. Rationes in promptu. Multis fane parafangis distat id Systema, quod *Summum Deum primum in miraculis motorem admittit*, et quod *nullum statuit*. Id Systema, quod *harmoniam secundum leges rerum contingentium*: et id, quod *secundum fatalem necessitatem*: id Systema, quod *mechanismo fatali fores pandit*: id Systema, quod *gloriam Dei et eminentissimam potentiam et sapientiam veneratur, admiratur, ad easque omnes perfectiones extollendas collineat, ab illo absurdo, quod Deum impotentem et fatali necessitati subjectum esse falsissime adstruit*. Prius autem agit systema harmoniae praestabilitae, uti Cl. WOLFFIVS, in libro egregio de *Finibus rerum* nec non in *Commentatione luculenta* notissima pluribus probatum ivit. De posteriori amplissimus fane differendi campus prolixius hac de re se nobis ultro explicat, verum vela ad portum proximi contrahentes interprete Cl. BULFFINGERO z) unicum hoc addimus: *Vides, inquit, Harmoniam deducere ad DEVM, non extorquendo solum, sed illustrando perfectiones quoque. Non applaudo omnibus promiscue et aequaliter argumentis: Amo illa, quae ideam divinitatis minime sterilem generant, sed qualem hanc existimo, perfectionibus sanul, atque eminentissimis undique attributis*

z) in Commentat. hypothet. de Harm. quam maxime praestabilita, Sect. VII. §. 261, p. 250.

is praegnantem. Gratis ergo multa afferuntur a Cl. auctore, quae probatione solidiori indigent, quam lubentius acceperimus; Nam quum in rei veritate Systema Harm. praestabilitae neque, cum maximis, neque cum minimis System. Spinoziani momenti convenit et illud omnia miracula excludit, multo minus hoc ipsum erit ipsum miraculum. Alias etiam Systema Spinozianum, qua animae et corporis phaenomena tradit, esset ipsum, recentissimum fortean, miraculum, quod tamen nemo nisi incurius et imperitus ejusdem Systematis dicitaverit.

§. XII. Quod *tertium* denique momentum causae concernit, quo ex contradictoriis verbis M. Rev. Auct. nobis res cum Eo habenda esset, apprime brevitatis studiosi erimus. Uti vero ille ex contrariis Systematibus eandem, aut falsas, consequentias elicit: ita ex dissonantibus verbis et sententiis schema componit, id quod opinionem suam fortissime adeo arietat, ut dissipet. Miracula enim mox imputat Harmoniae praestabilitae, mox ex illa concidere ait, uti supra §. III. videre est. Contrariarum autem una est vera, altera falsa. Si enervat, consternit hoc Systema miracula, ut dissentiens hariolatur, ergo nulla fortean admittit, multo minus ipsum Systema in connexionione sua consideratum erit miraculum, quod tamen infinito modo fieri Cl. dissent. satis speciose nec non copiose statuere voluit? Verum enim vero ex inductione quorundam miracularum res manifestior fiet, quod scil. si ponamus: in rerum universo hac vel illa in re contingere miraculum, tantum abest, illam rem ullo modo tollere, profigare, dissipare miracula, ut potius stabiliat. Recipimus igitur nos ad asylum eminentissimum tutissimumque omnium veritatum, et qua miracula, *Sacram Scripturam*, ubi sane nubes miraculorum nos quasi obumbrat. *Transitus Israelitarum*, per mare rubrum quicquid alii ogganniant, evidentissimum miraculum erat. Exod. XIV. com. 16. 17. 18. seqv. *Loquela Afsni*

Bilea-

Bileamici, Num. XXII. v. 23. *Scipio ille Moysi* in serpentem conversus, Exod. IV. et reliqua, supernaturalia, quae causas et vim naturae superant, pro miraculis omnino habenda. Quis autem unquam hanc exstruxit inde consequentiam: Haecce fuere miracula, ergo miracula tollunt? sic et *harmonia miraculum dicitur* secundum M. R. disputatorem, et tamen additur quod non modo miracula enervet, minuet, imo tollat, quae quidem haud cohaerent. Aut admittendum, harmoniam referre miraculum aut non. Prius autem jam supra destructum et in priori dissertatione nostra, modeste in *Excellentiss. Auctori*. notatum: Quid supererit effugii? hoc scilicet quod non sit miraculum. Id quod per inductionem omnium sacrorum miraculorum evidenti satis testimonio probari et demonstrari posset, imo *Cl. Auctori* dissensum praebenti haec accuratissime constare persuasi sumus. Quae de miraculis effictionis et ἀποκαταστάσεως a *Cel. Viro* afferuntur, ea ad Harmoniam totius universi fortean pertinent, quae nostri haud est instituti, ideo hoc silentio transimus, atque quod harmonia inter animam, et corpus neque effictionis, neque ἀποκαταστάσεως miraculum inferat, multo minus Ipsamet ponere infinita miracula satis collegisse rati sumus. Quum vero vel tyronibus Logices contet, directe contradictoriarum alteram fore falsam, itaque si probaverimus, utramque M. R. V. esse falsissimam, consequentia sane nulla, nec minima hinc exsculpi potest, datur enim tertium. Tandem licet *harmonia illa* decantatissima inter animam et corpus, qua anima juxta leges appetituum, et corpus qua leges motuum agat, sit *miraculosa* et *stupenda*, uti *Baelivs* et *Leibnitivs* confessi sunt, non tamen erit miraculum. Legibus excludimur, ut ne plura demus. Igitur *Cl. Bvlfingervs* Epilogum Laconicum addat. *Quam autem ait, ea sit Philosopho digna hypothesis, qua divinum in Natura artificium, quantum fieri potest, maximam divinitatis, ultra finitum omne, admirationem venerationemque animo ingenerat: Id notius esse debet philosophantibus, quam ut inculcari denuo sit necessum.*

ΜΟΝΑΔΟ ΤΡΙΑΔΙ ΔΟΞΑ.

01 A 6731


ULB Halle

3

004 122 828







NVM EX

21

HARMONIA

INTER

ANIMAM ET CORPVS

PRAESTABILITA LEIBNITIO - WOLFFIANA

SECVNDVM OPINIONEM

VIRI CVIVSDAM CELEBERRIMI

INFINITA MIRACVLA

SEQVANTVR

DISSERTATIO POSTERIOR

QVAM

CONSENSV AMPLISS. FACVLT. PHILOSOPH.

PRÆSIDE

M. JOHANN. SAMVEL. BILLEBIO

ABBATIS - BESSINGA - THVRINGO

IN ILLVSTRI ACADEMIA WITTEMBERG.

H. L. Q. C.

MENS. APRIL. A. O. R. S. c1o 1000 XXV.

DISQVISITIONI ERVDITORVM SVBMISSAM

PVBLICE TVEBITVR

JO. ANDREAS HEIMBVRGERVS

THAL - EBRA THVRINGVS

WITTEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.